Q. D. B. V.

DISSERTATIO

DE

GENERATIONE DIABOLI CUM SAGIS,

Qvam

Auxiliante Numine Divino

In celeberrimâ Wittenbergenſium Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

M. NICOL. PANECII,

Zittaviâ-Luſ.

publico Eruditorum examini,

ſubmittit

AUTOR RESPONDENS

GEORG. CHRISTOPH. KRANZIUS,

Ortrand. Miſn.

Ad diem XXIII. Sept. Anno 1693.

H. L. Q. C.

WITTEBERGÆ, LITERIS JOHANNIS WILCKII, Acad. Typogr.

A. 5103.

I. N. J.

VI, qvod non potest, fraude assequi tentandum. Ita jam seculum fert, proh dolor! experientia teste, astutia imperante. Idem est, qvod Lysander dixit: Ubi qvod vellet non assequeretur leonis exuvium, ibi vulpinum applicandum esse, qvod honestis rationibus non posse affici, id fraude doloq; perficiendum. Egregie sanè dictum. Plurimi qvidem, magnitudine animi interrita, ingenti potentia suo gradu, in summam spem ac fiduciam eriguntur; Enimverò, sæpius spem suam interciſam videre coguntur, verumq; illud esse Ovidii: Fraude perit virtus, intelligunt, & videtur ac si ipsi nonnunqvam nimio fiducia gradu, nec non exinde prognatâ ambitione spes suas præcipitarent. Non enim à sola alterius potestate aperta, atq; vi nos vindicare decet, ex ejusdemq; conditione securitatem aliqvam fingere noxiam, alias qvippe hostis isq; majoris potentia, nempe fraus imminet, cujus ope plures res destruuntur, plures urbes capiuntur, captæ sunt, qvin nobilissimæ ad solum dirutæ, & multa jamjam ante secula Curtius lib. 5. cap. 10 id ipsum conqvestus est, & qvid veteres refero historias, subeat modo animos nostros memoria bellorum, qvæ hactenus cum Gallis gesta sunt, urbiumq; vastatarum, qvas qvidem enumeraturus mortuo ut dicitur mederer, cum nemini non notissimum an majori fortitudine an fraude acta sint, videtur, bellum istud uno fasce complecti Ovid. l. 2. Fast: Ubi vincere aperto non datur, insidias armaq; tutâ parat. Et Terentius in Andr. Fallacia alia aliam trudit: Et qvid corruptissimis hisce temporibus, ubi nulla non publicè, nec cū infamia regnant flagitia, mores q; boni ægrotant, vitium hoc miramur? Cum sacris in Bibliis, plurima adsint exempla ejusdem labis, qvæ succedente tempore in alios serpsit atq; vulgavit, posteris qvasi pessimo gradu ad eandem anteeuntibus. Qvalis vero fons, qvalis origo, cui natales suos debet hoc viticum? Patrem non aliud novit, qvàm Diabolum, hic enim Gen. 3. naturæ suæ specimen edens, Evam miserrimè fallebat. Et hic κατ' ἐξοχὴν ille est, qvi qvod non potest vi fraude assequitur tentat. Multorum qvidem qvi solerter fefellere, prostant exempla, ut Lysandri, qvi ridens, qvum maxima ejus fraudulentia probro data esset, sibi de ea gratulatus est. Omnium verò, utut fuerit maxima, cum Diaboli collata, umbra qvasi est, Hic optimè novit inescare homines, fœdusq; certis cum homine initu-

rus conditionibus, fraudem habitus corporis & ſpecies frontis ſic obtegit, ne prater experientiam, & qvibus aſtutia ejus jamjam notiſſima, qvicqvam, qvo argui poſſit, inveniatur; Qvin ne qvid ad explendæ fraudis cumulum deſit, altius q3 fallat, non veſte forte ſqvalidiori, ſed cultus ejus habitus q3 plerumq3 à privato abhorret & qvanto maximo cultu qvis poteſt, ſeſe adornat. Nec forte, ſi qvosdam conveniat, impetu qvodam ad officia ſua atq3 ſervitia cogit, ſed paulatim, magis magisq3 ſibi obſtrictos reddit, nec præcipiti curſu, ſed graduâ virtute ſollicitatos deſciſcere atq3 advitia transcurrere, nititur: Unde rectè Ambr. l. de Virgin. Venena, inqvit, non dantur niſi melle circumlita: & vitia non niſi ſub ſpecie & umbrâ virtutum, decipiunt. Eadem ſucci dulcedine, diabolus venena ſua circumlinere novit, ſicq3 nobis imponere, ut, dum occultò ſagittas ejus metuimus, minus antè faciem haſtam timeamus, vel dum ante faciem haſtæ reſiſtimus, neqvaqvam ex occulto Sagittas ejus videamus, cumq3 cavemus ne decipiamur: vix cavemus cum cavemus, etiam cum caviſſe putamus: ſæpe captus jamjam eſt cautor. Inter has vero Diaboli aſtutias non ultimæ notæ eſt, ubi ſagis, corrumpendo ipſarum mentes, & poſtqvam ſeſe ipſius dedere ſervituti, ex concubitu cum iſtis prolem aliqvam naſci perſvadet, de qvo jam acturus, Numinis Divini ad hoc propoſitum, ut feliciter eveniat, devotè apprecor auxilium.

§. I.

NEigitur in limine mox, qvod turpe offendam, prius qvod Diaboli ſpectat ὀνοματολογίαν perluſtrabo. Derivatur autem à Græco Διάβολος, qvod calumniatorem ſignificat, & qvidem ſic κατ' ἐξοχὴν vocatur, Princeps malorum ſpirituum, qvia ſemper explorat, ut ſcriptura oſtendit, & coram Deo appetit, calumniis, id qvod Hiſtoria Hiobi ſatis evidenter comprobat, ut & Apocal. c. 12. v. 10.

§. 2. In Homonymia non adeò multa occurrunt, niſi qvod Satanas, generalius qvandoq; ſumatur, hinc qvando Chriſtus Matth. 16. v. 23. dicit ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, Abi poſt me Satana, non Petrum diabolum vocat, ſed qvod vox iſta propriè ſignificat adverſarium, vox qvippe σατᾶν eſt ἄκλιτον origine Hebræum שָׂטָן adverſarius, à radice שָׂטַן adverſari, odio habere, Pſ. 71, 13.

§. 3. Freqventiora ejus Synonyma ſunt, Dæmon, κακοδαίμων malus genius, asmodæus, qvod Joh Bodinus à verbo שמד appellatum vult, qvod ſignificat profligare: enim vero huic derivationi directè contradicit, Joh. Heinr. Hottingerus Diſſertat. 3. Philolog. qvi vocem Asmodæus

à vo-

à vocabulo Persico, אסמרן tentavit, ad malum sollicitavit deducit, cui etiam Clarissimus Gravius in elementis suis lingvæ Persicæ suffragatur pag. 46. Cui fermè per omnia consentit appellatio Syriaca ܐܶܟܠܦܪܳܐ comestor calumniarum.

§. 4. Sed ne diutius uni immorans, alterum minus perpendam, converto me ad terminum qvæstionis nostræ secundum, Saga dicitur à sagire, sicut audax ab audere &c. Sagire vero idem est ac acutè sentire apud Ciceronem lib. I. de divinit. hinc ibidem saga anus, qvæ multa scire vult. Acronius vult Sagam dici, qvasi qvæ satis agat. Sed dum alludit ad nomen, ludit & à verò etymo vocabuli recedit nimis; sed ut jamjam indicavi primam etymologiam, ut optimam & ad scopum meum aptam agnosco, ac veneficas, sic dici dicimus, qvia tempestates aliaq; futura præsagire creduntur. In sacris Pandectis dicitur talis mulier לילית Es. 34. v. 14. Vulgata reddidit lamiam, Lutherus der Kobold. Dicitur alias à לַיִל nox, & de sagis usurpatur, qvoniam nocti vagæ evadant & congressus suos nocturno tempore instituant; imprimis autem loca obscura & deserta illis tribuuntur, ob freqventia, in talibus locis comitia. Nomen autem Kobold/de Diabolis magis & bestia, qvæ obducta nocte, in desertis clamat locis, qvàm de illis usurpatum invenitur. Rabbini scribunt, לילית esse Dæmonissam sive lamiam nocturnam, qvæ infantes rapit, & occidit. Unde & Judæi maxime per Germaniam circa lectum puerpuræ & in qvatuor parietibus cubiculi, in qvo puerpera cubat creta solent scribere אָדָם חַוָּה חוּץ לִילִית *Adam, Eva, foras esto Lilis.* Adscribunt etiam nomina trium angelorum, medicinæ & curationi hominum præfectorum *Senoi, Sansenoi Sammangeloph. Fabula hæc in libro antiqvo Ben Syræ sic describitur, Nebuchadnezar videns nomina horum trium angelorum, in pergameno sive putatio inscripta qvæsivit, qvid essent, Respondit Elieser, nomina angelorum qvi medicinæ præfecti sunt.* Vid. Buxtorff. Lex. Talm.

§ 5. Apud Latinos cum Saga pari passu ambulant, Lamia, cujus nominis scaturiginem nonnulli Latio vindicant, nonnulli Græciæ. Illorum partem tenet Penotus, dicitq; derivari à verbo lanio, qvia mordax hic diaboli fœtus metaphoricè laniat, & scindit baptismale fœdus, qvid? homines ipsos. Hi in duas partes abeunt. Alii â λάμος animali muliebri facie, eqvinis pedibus, olim dicto λαιμὸς, qvod magnum habeat guttur, & integros pueros hominesq; deglutire possit, descendere asserunt.

Alii

Alii & id rectiſſimè à nomine Proprio Poëtis haud incognito petunt originem. Diodorus Siculus. lib. XX. Biblioth. pag. 778. Reginam inqvit Lamiam in radice montis ſpatioſo in antro degiſſe, fabulantur, cujus propter animi feritatem in ſeqvente tempore facies in belluinam fuit transformata. Ab ave ſtrige ſagæ qvoq; ſtriges nonnunqvam vocantur. Aptè omnino: Qvemadmodum enim avis illa rapax nocturna & infauſta, à Lucano & Seneca ſalutatur, nec non in templis & deſertis ædibus verſatur, notante Franzio in Hiſt. animal. ſic ſagæ nocturnas & maximè infauſtas hominibus peragunt operationes. Unde Serenus Sammon:

-- -- -- *premit ſtrix atra puellas.*

Veneficarum atq; maleficarum nomina ita nota eſſe arbitror, ut ſupervacaneum potius qvid de iisdē in ſpergere. Germanis & veteribus & recentioribus, hic præſtigiatoris infernalis fœtus Häkſe (Hexe) ſalutatur. Suntq; qvi putant dici eas ab hetzen, ſeu Heza, regina qvadam Amazonum, qvam celebrem ſagam, tumore ac truculentia repletam fuiſſe ferunt. Alii dici eam qvam qvaſi Hecate jam volunt, ab Hecate, qvæ ex Perſe, Solis filio nata, ad venena mortifera ſummum impendit ſtudium, ut docet Diodorus Sicilus l. 5. c. 3.

§. 6. Cum in Homonymia non adeò multa multi ad ſint momenti vel uno tantum verbo ea ſubjungam. Saga autem erat militaris veſtis, qvæ tyronibus militiæ, uti forſitan hodie die Lieberey dabatur; nec homines ſolùm, ſed eqvi etiam campeſtres ea exornabantur. Tali ſaga eqvū pretioſum, qvi in Heliodorum immittebatur exornatum fuiſſe caput. 3. Maccab. l. II. refert, dicitur enim v. 25. καλλίστῃ σαγῇ διακεκοσμημένος, qvo tegmen illius præſtans ac puleherrimum inſignitur. Qvam vero ſignificationem non attendimus.

§ 7. His itaq; delibatis preſſius ad ſcopum noſtrum accedimus, & ut eò melius theſeos noſtræ conſtet aſſertio, operæ pretiuu putamus addere definitionem generationis, qvam B. Sperlingius ita definivit: *Generatio eſt actio corporis naturalis miſti, qva ſibi ſimile producit ex ſemine, ut perpetua ſpecierum conſervatio conſtet.* Qvod autem definitio hæc generationis ſit bona, illius probant reqviſita, primo qvippe conſtat genere atq; differentiâ, genus eſt actio ſubſtantialis. Differentia generica, in his verbis: corporis naturalis miſti, reliqva verba abſolvunt, differentiam ſpecificam qvæ in ſeſe continet cauſam efficientem, materiam, formam, finem.

§. 8.

§. 8. De generatione verò agentem decebit simul ipsius perlustrare Homonymiam, ipsas generationis vox, variis in Physica Aristotelis accipitur modis. 1. sumitur communissimè, pro mutatione, ex non esse ad esse *l.5. Phys.c.1.t.7.* & sic generatio communis est omnibus rebus naturalibus; omnes siqvidem generatione cœperunt, qvando productæ fuere, nec alius qvâ hic productionis modus corporibo convenit. 2. Sumitur vox illa specialiter, pro naturali corporum mutatione, qva ex uno substantialiter mutato prodit aliud. 3. Sumitur vox illa specialius adhuc pro generatione mixtorum & definitur ab Aristotele qvod sit *mutatio â qvalitatibus activis cum rationem habuerint in subjecta materiæ cujuscunq; materiæ.* 4. Accipitur specialissimè pro generatione viventium, & definitur ex Aristotele: *Qvod sit participatio animæ vegetativæ cum calore naturali. De qvibus vid. Zeisoldus in Tract. de Anima:*

§. 9. Dividitur porro generatio in *inchoatam*, seu *imperfectam*, & *consummatam seu perfectam.* Illa est actio, qvâ forma mediante aliqvali suæ speciei materia producitur: hæc est actio, qvâ totum compositum cum omnibus suis partibus producitur. Alii distingvunt qvoq; inter generationem univocam & æqvivocam; illam vocant, qvando simile â simili, homo ab homine, brutum â brutô; Æqvivocam qva ranæ vermes, nascuntur, in fimo, qvisqviliis, virtute siderum, qvod tamen, doctiorum insistens vestigiis minus concedo, nam qvicqvid, vitam non habet, eam alteri dare non potest. Qvod vero, pueri multoties lumbricis abundent, illud fit, cum fructus hortenses non lotos & qvatenus iis semina vermium adhærescunt, comedunt.

§. 10. Causa efficiens est corpus naturale mistum, ubi qvod corpus naturale spectat, istud est vel *simplex* vel *compositum, simplex*, qvod materiam habet simplicem, estq;, vel *absolute*, vel *respectivè talis*, absolutè, qvod materiam pure simplicem, ut cœlum, & qvatuor elementa, cum aqvis supra cœlestibus: *respectivè* verò qvod materiam certo modo simplicem habet. *Mistum de qvo & hic agitur, est qvod materiam habet compositam, ut homo eqvus* &c. Cum igitur Spiritus, nec corpus naturale sit, qvod ejus probat definitio, nec est mistum qvid, , ergo nec generare poterit.

§. 11. Materia est semen, definiturq;, qvod *sit corpus calidum è succò optumo in testiculis elaboratum. Kipp. Inst. Phys. l.7.c.2.* Plenum est calido & humido innato, non qvidem elementari illo, sed qvod divinius ac naturæ cœlestis est. Subest enim semini vis & facultas formatrix, di-

vino

vinò qvodam cœleſtiq; munere, qvod ſpiritu vitali atq; ætherio abundè imbutum atq; undiq; perfuſum effigiem formamq; fœtui imprimit, ſic ut ſingula membra totaq; corporis moles, qvæ ſenſim in decentem ſpeciem decoramq; hominis figuram abſolvitur, in eo conſiſtant, & quodam modo adumbrata ſint. *Vid. Lemn. de rebus occult.* Cauſa efficiens ſunt teſticuli, qvi optimum ſuccum convertunt in ſemen. Album eſt partim qvia ex coctum eſt in teſtibus, partim quia ſpirituum aëris & aqvæ copia turget. Nigrorum atq; æthiopum genituram, atro colore infectam eſſe cenſuit olim Herodotus, ſed falſo, uti rectè notavit *Ariſtot. l. 2. de Generat. c. 2. Sicut non eſt ſemen nigrum eqvi nigri, & album albi. Semen aliud manifeſtum eſt, aliud occultum. Manifeſtum eſt*, quod in hominum ſenſus incurrit, qvale eſt hominis, *occultum qvod* hominum ſenſus fugit, qvale eſt inſectorum, & graminum omnium. Ac de iis qvæ ab occulto ſemine pro creantur, non levis inter eruditos viget controverſia, Errant verò omnes illi Averrhois, Avicennæ, Thomæ Aqvinatis, decreta ſequentes: extrà ſemen quærunt aliqvod principium efficiens, ſive in ſolis efficacia, ſive in cœli occulto influxu, ſive in caloris vegetabilis actione, ſive in materiæ poteſtate inſita, ſive in ſpiritu per orbem univerſum diffuſo, de qvo prolixius agere, non eſt noſtri, plura qvi cupit, *adeat Kipp. Inſt: Phyſ. l. 7. c. 2.*

§. 12. Forma generationis conſiſtit in ipſo actu, ubi ex utriusq; ſeminis conjunctione, vi benedictionis primævæ, anima generatur, qvæ deinde totum fœtum ad perfectionem ſuam deducit.

§. 13. Finis generationis eſt conſervatio ſpecierum. Omne qvippe agens naturale eſt conſervans ſui, quod cum fieri neqveat in unò individuò, utpote corruptionis ſorti expoſito, ideò fieri debuit per individuorum propagationem. Namq; perpetuitas ſpecierum dependet, à perpetuitate individuorum, ait doctiſſimus Taurellus in Triumpho Philoſophico.

§. 14. Verum hic anteqvam ad aſſertionem theſeos perveniam, de monſtroſis, paulũ erit agendũ effectibus, utrum illi à Diabolo, an verò, à cauſa naturali ortum ſuum habeant, qvia adverſarii, ad ejus commodi effectus provocare ſolent. Ac primo quando qværitur, utrum natura effectus ejusmodi monſtroſos intendat, reſpondetur diſtingvendo inter *intentionem primariam & ſecundariam.* Priori modo intendit qvod eſt perfectiſſimum, atq; abſolutiſſimum, poſteriori etiam monſtra, i.e. ob cauſam aliqvàm per accidens, qvæ primariam ejus intentionem impendit. Eſtq;

illa

illa causa vel *abundans*, *qvando semen abundat*, unde nascunntur homines sex digitis, item cùm duobus capitibus, item Gigantes. *Vel deficiens*, & tum nascuntur infantes nonnuqvam absq; brachiis, pedibus, digitis item pumiliones sivè nani. Potest etiam error esse in causa efficiente, scilicèt in matre imagnatio, inde varia nascuntur monstra, item terror, sic aliqvando natus est puer arietino capite, item puella, qvæ loco digitorum conchas cancri in pedibus habebat, qvia mater cum eandem gestaret, & â milite qvodam emeret cancros, eosdem nimis intuebatur, & simul ob pretium majus, qvod depostulabat, alterabatur. *Vid. Hagedorn. in Hist. Medico Phys. Cent. 3. hist. 32.* Sic etiam gallina cum ovis incubaret, â milvo perterrita, excluſit pullos milvi capite insignitos. Ita etiam qvas Jacobi tinctas pariebant oviculas. *Gen. 30.* Constantiæ aliqvando ad locum Acronium, duo infantes, masculus & fœmina, duobus capitibus qvatuor brachiis, totidemq; pedibus, membris omnibus absolutis, sed circa umbilicum, conjunctis corporibus nati sunt, Anno 1063. Sic qvoq; gemini pulli ex ovis nascuntur, non tantum, bicipites, sed & totô corpore connexi; qvia vitelli ex qvibus pro creantur gemini sunt, & communi membrana involvuntur, non possun t inter scuniri, idem contingit in fructibus.

§. 15. Nec non absq; manibus & pedibus natos esse infantes certum est. Aldronatus ex eoq; Le Grand. *Hist. nat. p. 365.* alicujus, mentionem facit qvi â vertice ad hypochondria, humanam formam referebat, ab umbilicô autem, relictâ hominis figura, in formam pyramidalem terminabatur, referens in cuspide similitudinem caudæ suis implexæ. Cujus causa est materiæ seminalis, defectus, qvæ cum non sufficeret, ad integrum corpus efformandum, reliqvam illem partem ita tenuē reliqvit. *Memorat Remigius Damonol. lib. I. ex Christiano Massæo*, qvod non multis diebus præcesit Ravennæ direptionem: *Infans scilicet hermaphroditus, aspera uno cornu fronte, alatis brachiis, oculato genu, pede accipitrinistis* V. † *pectore insignito. Rursus* & aliud non minus stupendum Levinus sua ætate visum testatur: *Aduncô rostro infans, longo teritiq; collô. oculis vibrantibus, cauda acuminata, stridente voce, pedibus expeditissimis ut qvibus hâc & illac celerrimè discurreret, latebras conclavis perqvirens.* Pariunt nonnuqvam mulieres loco infantis massam, qvan-

dam carneam, cujus ſolidiſſimam exhibet rationem *Levinus Lemnius de occultis naturæ mirac: lib. 1. cap. 8.*

§. 16. Hæc verò monſtra effectus Diaboli neutiqvam eſſe, inde conſtat: 1. *Qvia ſunt effectus naturales.* 2. *Naturaliter, geniti,* 3. *Naturales habent cauſas,* ut §. 14. demonſtravimus. 4. *Ipſæ ſagæ teſtantur infantes ſuos omnibus naturæ numeris & partibus eſſe perfectos atq; abſolutos.*

§. 17. Jam è diverticulo, in uiam redeuntes aſſertionem theſeos noſtræ determinamus: Diabolus, ſive ſit ſuccubus ſive incubus cum ſagis vel magis nec generare, nec parere poteſt.

§. 18. Qvod probo ex reqviſitis generationis propriis hactenus traditis, ſed anteqvam iſtam ſuis ſuffulciam argumentis placet premere veſtigia Excellent. Dom: Donati P.P. Patroni & Præceptoris mei ad cineres Venerandi, qvi aſſertè teſtatur nullam tali ex concubitu naſci prolem: *Neq; verò, inqviens, putandum ex tali commiſtione atq; congreſſu Dæmonis cum muliere natam unqvam eſſe, aut naſci poſſe veram humanam prolem. Qvandoqvidem exempla prolis inde natæ, in confirmationem ſententiæ oppoſitæ, allegata aut apertè falſa, vel tamen ſuſpecta ſunt, aut ſi qvandoq; ex tali concubitu natum fortaſſis aliqvid fuit, non homo ſed monſtrum fuit, omni animæ humanâ deſtitutum, & ab inhabitante dæmone tantisper viventis inſtar, agitatum: aut ſi deniq; homo fuit, dæmonis fraude aliunde ſurreptus fuit, atq; pro nato ſuppoſitus. Inſtit: Pneum: Angelogr. cap. 5. de action. angel. extern. §. 82. & 83.*

§ 19. Cauſam efficientem generationis §. 10. dixi corpus naturale miſtum, qvod utiq; num datur in Diabolo, erit inqvirendum, & primùm ejus num id concedat definitio? definitur autem qvod ſit Spiritus dependens completus. Qvod igitur primò conceprum ejus communem ſpectat eſt Spiritus, qvi omnem juxta ejus definitionem reſpuit corporeitatem, eſt qvippè Spiritus ſubſtantia immaterialis. Vidimus ergò cauſam efficientem generationis eſſe corpus naturale miſtum. Diabolum verò vi ſpiritualis ſuæ eſſentiæ prorſus hoc deſtitutum eſſe, qvippe impoſſibile eſt idem ſimul eſſe ſubſtantiam immaterialē, & corpoream ſubſtantiam qvod, reſpuit natura Spiritus, ex qvibus præmiſſis ita concludo: Qv: non eſt corpus naturale generare non poteſt, Atqvi Diabolus non eſt. Ergo.

Major

Major invictæ est veritatis, ex ipsâ generationis definitione, Minorem jamjam probavi.

§. 20. Alterum generationis reqvisitum, est materia, qvam §. 11. semen constitui, estq; corpus calidum ê succo optimo in testiculis elaboratum. Ubi ante omnia penitius perlustrandum erit an & hæc in Diabolo detur. Enim verò qvis qvæso vel semi sanæ mentis semen Diabolo tribuere velit cum ejusdem elaborotatio essentiæ ejus spirituali, immaterialitati, simplicitati per omnia repugnet. Seminis enim elaboratio primo cibos, deinde Shylum, sangvinem & vasa istud ex coqventia & perficientia præsupponit, & hoc affirmare qvid est, aliud qvàm corpoteum fingere spiritum eundemq; materialitatis cujusdam incusare. Qvæ qvomodo inter se jungi & copulari possint non video, tantum ab est ut inde oriri qvicqvam posse putem perfectum atq; absolutm. Siqvidem proportionem semper aliqvam esse oportet ejus, qvod agit ad id qvod patitur, extremaq; medio aliqvo conjungi, ut inde effectus aliqvis conseqvatur. Deniq; si simileà simili generatur, qvale id qvæsô jam esse poterit, qvod extam diversis dissimilibusq; naturis coalescet atq; orietur. At verò respondere qvis potest, Dæmones cum se ad id opificium comparant in corpus aliqvod induuntur, qvod ab iis velut an imatum humani speciem, vim ac naturam habet. Et esto corpore aliqvo sese induant, namq; id concedere possum, istud vel hominis defuncti cadavererit, vel ex concretis densatisq; vaporibus moles aliqva. Nam his fere duobus modis, illi sese nobis videndos exhibent. Qvidq; qvæso absurdius, incredulliusq; dici aut fingi potest, qvàm statuere, qvod vitæ animalis expers, id ad eam alteri impertiendam vim ac facultatem habere? Secundum enim naturam, cujus propria hæc est molitio, nisi viventis genitale semen nullum esse potest.

§. 21. Enim verò certissimum est & ipsæ sagæ confitentur habere Dæmonem semen, unde qvæso illud? hîc invarias abeunt sententias Eruditi. Petrus Paludanus Martinus Arelatensis: Dæmones cum ad eam rem se parant, ê mortuorum hominum cadaveribus semen velut emulgere. *Remigius verò Dæmonol: libr. cap.* 6. simpliciter eandem sententiam rejicere videtur. Et sanè qvidem rectissimè Principiis enim & diametro repugnat. Divus Basilius, ex den-

ſatis coalitisq; vaporibus, iſtud de ſumere credit, qvam tamen non æqvè omnes accipere volunt rationem, potius Averrois Alberti iſtis placet, qvi prodigioſæ ejusmodi generationis modum tertium ſuperioribus duobus fortè credibiliorem ac probabiliorem addunt. Dæmones ſcilicet id ſemen incubos immittere, qvod ante ſuccubi exceperunt: qvi modus etiam Remigio maxime omnium placet.

§. 22. Cum igitur extra dubium atq; evictum ſit ex antecedentibus, Semen Diabolum habere, nec inde tamen eundem verè generare poſſe ſeqvetur. Semen enim Diaboli frigidiſſimum eſt, qvod ipſius feminis iterum contrariatur deſcriptioni, qvæ expreſsè dicit eſſe corpus calidum, & hoc deſtitutum, peſſimè ſemen dici, & ſic ſe habere cum ſemine Dæmonis, certè, omnes uno ore loqvuntur, qvæ Dæmoni corporis ſui copiam fecerunt, ſagæ, (nullæ autem non iſtud faciunt, ubi ſe illi ad dixerunt, eſtq; hoc qvaſi præcipuum fidei pignus, initi cum illo fœderis,) ſe illus ſemine, ſi qvod effundit, in tantum frîgido contaminari, ut eo immiſſo totæ pene diſſiliant. Marci apud Pſeltum in libro dæmonibus eadem eſt oratio: *Si qvod, inqvit, excrementum ſentiunt, emittere iduti corpus, unde manat, ſic calore deſtitutũ, eo nihil ad procreationẽ æq; in habile ineptumq; eſſe poſſit.* Refert Alexander ab Alexandro, audiſſe ſe â qvodam famliari ſuo, illi amici paulo ante defuncti imaginem, ſummo pallore ac macie ad ſe acceſſiſſe, ac conatũ eſſe, una ſecum, illo in lecto collocare, ſed cum contraluctando, id facere fuiſſet impeditus pedem tantùm intuliſſe, usq; adeò gelidum ac rigentem, ut nulla glacies illius frigori comparari poſſit. Refert & alicubi Cardanus non ab ſimilem huic narrationem, de qvodam æqvali ſuo, qvi in cubiculo, qvod pridem erat Dæmonum occurſationibus infame, noctu decumbens frigidæ manus palpum ſenſiſſet. Qvemadmodum verò ſemine iſto nihil eſt frigidius ita eorum concubitu nihil in gratius, qvod, qvi concubitus, ſuccrebitusq; Dæmonũ memorant uno ore fatentur omnes. Ut unicum tantum proferam exemplum, nempe Nicolææ Moreliæ, qvæ conqveſta eſt, ſibi qvoties à tàm miſero concubitu diſcedebat decumbendum perinde fuiſſe, ac ſi diutina aliqvâ, ac vehementi exagitatione fuiſſet debilitata. Et communis ferè omnium qverela eſt, per invitas ſe â Dæmone ſuo comprimi, non prodeſſe tamen

qvod

qvod obluctentur. Joan Bondinus Dæmonom. suæ lib. 2. cap. 7. aliud adhuc profert exemplum: Joannam inqviens, Harvilleriam, inter cætera fuisse confessam, matrem ipsius, vivam fuisse adjudicatã igni, se verò annos duodecim natam â matre oblatam fuisse Diabolo, specie hominis atri, amictu atro, ocreis & calcaribus instructi, gladio accincti, eqvum nigrum habentis præforibus, utente his verbis; Ecce filiam meam qvam spopondi tibi, ad ipsam vero dicente: Ecce amicum tuum qvi beabit te, eo ex tempore Deo & religioni renunciasse, & illum concubuisse secum, nisi qvod frigidum erat semen. Et plurimarum confessiones maximam seminis comprobant frigiditatem, qvas superse deo enumerare.

§. 23. Ex his igitur præmissis, ita concludo: *Si Diabolus apta & ad generationem maximè necessaria materiâ, nempe seminè eoq; calido destitutus est, generare non potest. Atqvi, Ergò.* Antecedens clarissimum atq; maximè perspicuum est, ergo & conseqvens, Subsumptionis veritas exantecedentibus, qvæ, comprobavere dæmonis semen omni calore destitutum, potius frigidissimum esse, dilucidè apparet.

§. 24. In definitione seminis adhuc nonnulla thesin nostram, qvæ fulciunt occurrunt, nempe esse istud ê succo optimo, ubi vero iste in Diabolo? Præterea reqvirebatur elaboratio inteſticulis, qvomodo hæc fiet in dæmone? aut fieri posse qvis affirmabit unde Recte: *Qvicunq; caret succo optimo, & in teſticulis elaborato, nec elaborare ipsũ potest, generare non potest, Atqvi Diabolus &c. Ergò.* Ipsum vel semen elaborare non posse comprobant exempla §. 22. à nobis allata, qvæ aperte testantur, nec minimũ ipsum caloris, nedum vitalis, habere.

§. 25. Formam generationis diximus esse actum, qvem, Diabolus ut Spiritus exercere neutiqvam potest; qvia membris generantibus, ut ante dictum, caret. Nec in corpore aëreo assumpto qvia illud solidum non est, nec si forsan cadaver defuncti assumeret; qvia illud qvidem solidum, non tn. calorem vitalem habet, nec semen, ergo nulla ratione Diabolo generare potest. Enim vero obstare videntur exempla eorum, qvi cum Diabolis rem habuerunt, & voluptatem se sensisse fassi sunt; Verum respondemo, illud vel in somnio ipsis à Diabolis ita repræsentatum fuisse, vel etiam si vigilaverunt, eorum phantasiam

ſiam corrupiſſe, vel etiam magum ſagæ, & ſagam mago impoſuiſſe, qvis enim fraudes & machinas Diaboli omnes excogitare poteſt? imo & proſtant exempla, in contrarium, qvod ſagæ ex concubitu tali, maximos ſenſerint dolores, ut: § 22. Recenſet Bodinus An. M. D. XLV. Magdalena Crucia Cordubæ in Hiſpania nata, monaſterii cujusdam Abbatiſſa, faſſa eſt, ſe duodecimo ætatis anno, à maligno Spiritu, qvi Mauri nigri præ ſe ferebat ſpeciem, ad inceſtum ſollicitatam, ei conſenſiſſe, & ab eo tempore annis amplius 30 ei concubuiſſe. Item Joh. Franciſcus Picus Mirandulanus Princeps, Magum Sacerdotem nomine Benedictum Bernam octogenarium à ſe viſum, qvi ſe amplius qvadraginta annis dicebat cum Dæmone muliebrem formam habente coiviſſe. Joannes Wierus ait ſe præſente multisq; claris Viris in monaſterio qvodam An. M. D. LXV. amatorias literas ad dæmonem ſcriptas in Gertrudis monialis cujusdam ciſta inventas fuiſſe.

§. 26. Et cum per generationem Divinum Numen nihil aliud, qvam conſervationem humani generis & ſpecierum voluerit, Diabolus vero Deo ſemper contrarietur, ergo potius deſtructionem intendit qvàm augmentationem.

§. 27. Contradicere autem videntur effectus, utut falſi, generationis Diabolicæ, qvos contrariæ ſententiæ aſſertores venditant, nempe Cobaldi. Bodinus ex Sprangero, exempla Cobaldorum adducit, affirmans, naſci nonnunqvã iſto ex coitu liberos, qvos appellant, Wechſel Kind liberos mutuatos, hos aliis longè graviores eſſe, macros, & qvi ne tribus qvidem nutricibus exſuetis pingveſcerent: alii eſſe Diabolos ſpecie puerorum, qvi cum nutricibus magis congrediantur, & plerumq; in incertum abeant: Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus & Gregorius Nazianzenus contra Lactantium & Joſephum aſſerunt; nihil ex tali copulatione procreari: ſi fiat, diabolum in carne non hominem fore.

§. 28. Multi tamen generationem hanc Diabolicam affirmare, audent, Torreblanca Villulpandus l. 2. de Magia cap. 30. Jacob9 Lichtenbergius libro de Sagis. Martinus Delrius lib. 2. disqviſ. Mag. & plures alii, exempla proferentes Cobaldorum, qvæ monſtra ſunt humanam ſpeciem gerentia, ſed ingluvioſa, & fœtida inſtar Dæmonis. Cum *Kippingio autem Inſtit. Phyſ. l. 2, c. 7.* ſtatuo Cobaldos aut genetari

rari ex concubitu aliorum magorum, qvos Diabolus celeriter advehit, iterumq; deportat, aut esse Dæmones cadaveris alicujus involucro tectos, qvales olim in Papismi tenebris, cum Diabolus miseros homines mille artibus luderet, erant per multi. Hodie vero, nulli apud nos sunt postqvam lux Evangelii restaurata, depulit ab orbe meliore tenebras. Eandem sententiam & qvidem negativam tuentur, *Joannes Wierus lib. 2. de præstigiis Dæmon. c. 33. Stephanus Theupolus l. 6. contempl. Academ. c. 9. Gödelmannus lib. 2. de præstig. Dæmon. c. 5.* Rationes qvas *Kippingius* pro negativa adducit, sunt seqventes: *Qvic. est vitæ animalis expers, is non potest eam dare, Diabolus &c. Ergo. Major est vera, qvia qvod qvis non habet, illud non potest in alium conferre. 2. Ubi non est propagatio animæ,* ibi *non est generatio viventis, At qvi â Dæmone non est propagatio animæ, Ergo.* Minor probatur, *Dæmon non habet animam ergo non potest eam propagare,* Excipiunt *Sprengerus* & *Delrius*, Dæmones formant corpus aëreum, atq; illud induunt, ut possint cum sagis concumbere. Respondetur: *Corpus ejusmodi semine vitali prorsus est destitutum, qvomodo poterit absq; reqvisito principali generatio procedere.* Et sive corpus aliud assumant, sive in propria natura incumbant perinde est. Totum illud est ex mente læsâ sagæ, neq; generatio alia esse potest, qvam ludicra & dolosa. *Objicuunt porrò, Dæmon infundit semen, qvod aliunde surripuit, eoq; applicat principale agens, animam infundit DEus, & inde totus existit homo.* Enim verò nec hoc modo siniſtram suam sententiam probant, nullum enim semen prolificum esse potest qvod animam præsentem non habet. Turpissimum sanè Deum concubentis Dæmonis semini immisso, animam impertire, unde qvæso atrocissimus Dæmonis effectus nisi à Deo erit, qvod prorsus intolerabile.

§. 29. Placet hic addere, qvæ Casparus Schottus Physicâ suâ curiosa, l. 1. cap. 22. habet, ubi dicit probabilius videtur nunqvam ex Dæmonis incubi commixtione cum mulieribus, natam fuisse veram humanam prolem. Ratio est, qvia omnia exempla, in contrariæ sententiæ confirmationem afferri, solita, videntur esse suspecta, qvædam etiam apertè falsa, & si qvandoq; ex simili concubitu, natum fortassis aliqvid fuit, non homo sed monstrum fuit, aut si homo,

Dæ-

Dæmonis fraude erat ſuppoſitus. Vetuſtas (inqvit Delrius) obtrud it ſuos *Semideos, Hercules, Sarpedones, Servios, Tullos*; *Anglia Merlinum, Pannonia Hunnos, ex Artunis ſtrigibus Gothicis & Faunis natos, Chiza cap. 27. part. 2. Hiſt.* ſcribit in Hiſpania ſolitum Corcoton Dæmonem miſceri mulieribus & ex eo natos bi cornes eſſe. Sed hæc & ſimilia exempla videntur mihi omnia ſuſpecta, dicit, qvædam etiam apertè ſunt fabuloſa & falſa. Si ergo partus illi qvos Delrius, Molina & alii editos à mulieribus à Dæmone, oppreſſis, veri partus fuerunt, pro ſuppoſititiis habendi ſunt, qvâ in ſententia ſunt Plutarchus in Numa, Ulricus molitor de Pythonicis mulieribus cap. ult.

§ 30. Multò minùs probabile videtur, ex Dæmone ſuccuba & viro incubo aut natam fuiſſe unqvam aut naſci poſſe veram prolem humanam. Uti etiam ſentit *Delrius lib. 2. diſqviſ: Magic: qv. 15.* Ratio eſt qvia vel ad hunc ipſum partum plura re qviruntur, qvàm ad priorem, ſpatium videlicet temporis ut ſemen in corpus organicum commutetur, & abſolutiſſima illa humani corporis architectura perficiatur; item continua vege tantis animæ operatio, iu fœtu alendo, aliaq; multa, qvæ credibile non eſt Dæmonem in aſſumpo corpore præſtare poſſe, multò minus unqvam præſtitiſſe; Enim verò & huic aſſertioni experientia contradicere conatur, legimo enim, natos fuiſſe matre Dæmone ſuccuba, reſpondeo cum Delrio Torreblaneâ, Caſpare Schotto vel ſuppoſititios fuiſſe alterius fœminæ veros partus, vel ab alio Dæmone prolem ementitam TANTÙM.

SOLI DEO GLORIA.